

## LITANIÆ VETERES ECCLESIAE BELLOVACENSIS.

(Apud. Baluz., *Miscell.*, edit. Luc., pag. 285.)

Christus vincit. Ter.  
 Christus regnat. Ter.  
 Christus imperat. Ter.  
 Exaudi Christe.  
 ¶ Joanni summo pontifici et universali papæ vita.  
 Ter.  
 Salvator mundi. Tu illum adjuva.  
 Sancta Maria. Tu illum adjuva.  
 Sancte Michael. Tu illum adjuva.  
 Sancte Gabriel. Tu illum adjuva.  
 Sancte Raphael. Tu illum adjuva.  
 Exaudi Christe.  
 Rotgerio hujus Ecclesiæ pontifici et omni gregi sibi  
 commisso salus et vita.  
 Redemptor mundi. Tu illum adjuva.  
 Sancte Petre. Tu illum adjuva.  
 Sancte Paule. Tu illum adjuva.  
 Sancte Andrea. Tu illum adjuva.  
 Sancte Simon. Tu illum adjuva.  
 Exaudi Christe.  
 Rotberto serenissimo et a Deo coronato magno et  
 pacifico regi vita et victoria.  
 Salvator mundi. Tu illum adjuva.  
 Sancte Stephane. Tu illum adjuva.  
 Sancte Dionysi. Tu illum adjuva.  
 Sancte Luciane. Tu illum adjuva.  
 Sancte Juste. Tu illum adjuva.  
 Exaudi Christe. Constantiæ reginæ salus et vita.  
 Redemptor mundi. Tu illum adjuva.  
 Sancta Felicitas. Tu illum adjuva.  
 Sancta Perpetua. Tu illum adjuva.  
 Sancta Agatha. Tu illum adjuva.  
 Sancta Agnes. Tu illum adjuva.  
 Exaudi Christe. Omnibus judicibus et cuncto  
 exercitui Christianorum vita et victoria.  
 Salvator mundi. Tu illos adjuva.  
 Sancte Silvester. Tu illos adjuva.  
 Sancte Gregori. Tu illos adjuva.  
 Sancte Leo. Tu illos adjuva.  
 Sancte Ambrosi. Tu illos adjuva.

A Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.  
 Rex Regum Christus vincit.  
 Misericordia nostra Christus vincit.  
 Liberatio et redemptio nostra Christus vincit.  
 Arma nostra invictissima Christus vincit.  
 Murus noster inexpugnabilis Christus vincit.  
 Defensio et exultatio nostra Christus vincit.  
 Protectio et victoria nostra Christus vincit.  
 Ipsi soli imperium, gloria, et potestas per immor-  
 talia sæcula sæculorum. Amen.  
 Ipsi honor, laus, et jubilatio per infinita sæcula sæ-  
 culorum. Amen.  
 Ipsi soli virtus, fortitudo, et victoria per omnia sæ-  
 cula sæculorum. Amen.  
 Christe audi nos. Kyrie eleyson. Christe eleyson.  
 B Kyrie eleyson.  
 Hunc diem læti ducamus. Ter.  
 Dominum Joannem apostolicum Deus conservet. Ter.  
 Salvator mundi. Tu illum adjuva.  
 Sancte Joannes. Tu illum adjuva.  
 Sancte Jacobe. Tu illum adjuva.  
 Sancte Philippe. Tu illum adjuva.  
 Dominum Rotgerium Episcopum Deus conservet. Ter.  
 Redemptor mundi. Tu illum adjuva.  
 Sancte Martine. Tu illum adjuva.  
 Sancte Remigi. Tu illum adjuva.  
 Sancte Medarde. Tu illum adjuva.  
 Dominum Rotbertum regem Deus conservet. Ter.  
 Salvator mundi. Tu illum adjuva.  
 Sancte Corneli. Tu illum adjuva.  
 C Sancte Laurenti. Tu illum adjuva.  
 Sancte Vincenti. Tu illum adjuva.  
 Feliciter. Ter.  
 Feliciter. Ter.  
 Feliciter. Ter.  
 Tempora bona habeant. Ter.  
 Tempora bona habeant. Ter.  
 Tempora bona habeant. Ter.  
 Multos annos. Amen.  
 Ite, missa est. Deo gratias.

ANNO DOMINI MLVIII.

## STEPHANUS X PAPA.

## NOTITIA HISTORICA.

GIACONI, *Vitæ pontificum Romanorum.*)

In nomine Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi  
 benedicti. Amen.

D Sanctissimus dominus noster Stephanus IX, Lo-  
 tharingus, Fridericus antea vocatus, nobilissima

domo ducis Lotharingæ, Gothelonis ducis filius, et Gothifredi IV magni ducis frater, regio Francorum genere oriundus, natione Gallus, liberalibus disciplinis a puero instructus, et ecclesiasticis obsequiis traditus, primo enim canonicus regularis S. Lamperti in Lotharingia factus. Mox a beato papa Leone X diaconus cardinalis, et apostolicæ sedis cancellarius creatus, Constantinopolim legatus de latere cum Humberto episcopo cardinali Silvæ Candidæ missus, Græcorum errores confutavit. Deinde in Urbem reversus, mortuo papa Leone nono, ad monasterium Casinense profectus est, ubi sumpto (quam a puero semper amavit), religionis sancti Benedicti habitu, ibidem per aliquod tempus vitam transegit. Biennio vero ab ejus ingressu vix exacto, tricesimus sextus in abbatis Roberti demortui, qui illum susceperat, locum, abbas Casinensis omnium monachorum consensu designatus. Pro consecratione autem, ut mos erat, ad Romanum pontificem Victorem secundum, qui tum Florentiæ commorabatur, veniens, octo monachis comitatus, non solum in abbatem Casinensem est consecratus, verum et presbyter cardinalis in titulo Sancti Chrysogoni ordinatus est. A quo ad monasterium suum Casinense reversurus discedens, cum Romam venisset, statim obitus papæ Victoris secundi renuntiatus est.

Hoc nuntio Romam allato, Romani extemplo comitia subrogando pontifici habuerunt, ibi aliis Hildebrandum, qui cum Victore erat, exspectandum, aliis moram nullam comitis interponendam esse consentientem. Omnes demum uno consensu Fridericum ipsum cardinalem, ex Tuscia ipsa paulo ante reversum, adeunt, eumque per vim ex hospitio eductum, ad basilicam Sancti Petri ad Vincula trahunt, atque pontificem lectum Stephanum nomine appellant; is enim dies erat iv Nonas Augusti, quo die memoria sancti Stephani pontificis et martyris ab Ecclesia colitur. Atque inde plaudentibus omnibus ad Lateranum deducunt; postridie vero die Dominico cardi-

nalibus omnibus cum clero populoque Romano ad eum confluentibus, in Vaticano magna cærenonia consecrant. Sedit, imperatore Henrico quarto, menses vii, dies xxviii.

Anno Dominicæ Nativitatis 1057, die iii Nonas Augusti, altero post electionem die, in basilica Principis apostolorum, in episcopum et pontificem papa Stephanus X Romæ consecratus est, suæ coronationis insignia suscepit per Mainardum S. R. E. archidiaconum.

Stephanus, pontificatu inito, extemplo legatum ad Agnetem Augustam, Henrici quarti matrem, Hildebrandum misit, qui de rebus actis eam doceret, atque inde ad proseguendam, quæ instituta erat, reformationem Ecclesiæ se convertit. Restabat enim ingens cum ipso Henrico ejus filio certamen, qui a familiaribus depravatus, ecclesias non iis qui plus litterarum ac vitæ laude mererent, sed qui plus mercedis ac pecuniæ præbuisent, aperta sacrorum venditione, vendere instituerat. Quatuor igitur menses Romæ moratus, omnes in his cogitationibus consiliisque consumpsit, quibus et Henricum Simoniacæ hæresis insimulare ac factum ejus aspero decreto notare non dubitavit, et novis constitutionibus clericorum incontinentiam et consanguineorum nuptias interdixit.

Stephanus X synodum Laterani congregavit, in qua Ecclesia Mediolanensis, quæ superbix fastu ante ducentos ferme annos a Romana se subtraxerat, Hildebrandi præcipue opera, nunc demum obtemperare iterum cœpit ut vere omnium Ecclesiarum matri et magistræ, quam postea ita observavit, ut legitimæ filix piissimam matrem colere consueverunt.

Anno Dominicæ Nativitatis 1058, die iv Kal. Aprilis Florentiæ mortuus est papa Stephanus X, cuius corpus ibidem in ecclesia cathedrali S. Reparatæ sepultum est.

Vacavit sedes dies 28.

## NOTITIA ALTERA.

(Apud MANSI, *Conciliorum* tom. X.)

Stephanus, antea Fridericus appellatus, ex abbate Cassinensi et cardinale presbytero, communi totius cleri consensu invitatus factus est pontifex, hujus nominis nonus, anno Christi redemptoris 1057, regnante Henrico IV. Habitis in Urbe plurimis conciliis contra concubinatam aliave plurima vitia cleri mores Ecclesiæ reformavit. Petrum Damiani ab eremo abstractum creavit episcopum cardinalem Ostiensem. Ad Ecclesiam Constantinopolitanam schismate divisam catholicæ et apostolicæ communioni consociandam legationem misit in Orientem, qua fungebantur Stephanus cardinalis, Mainardus Silvæ-

Candidæ episcopus et Desiderius abbas Cassinensis designatus. Dato illis rerum agendarum communitorio, præcepit ut quamprimum possent reditum pararent. De futuri pontificis electione decretum edidit, quod Leo Ostiensis his verbis describit: « Post hæc congregatis intra ecclesias episcopis et clero, populoque Romano, sub districta nimis inhibitione constituit, ut si, antequam Hildebrandus Romanæ tunc Ecclesiæ subdiaconus ab imperatrice, ad quam pro quibusdam reipublicæ negotiis communi consilio mittebatur, rediret, se mori contingeret, nullus omnino papam eligere auderet; sed usque ad illius red-